Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2345
Quelle:
Copyright:

qui MCCCLV. praescripsit, inductus ab alio *Arnesti Statuto*, quod p. 405. subjecit, quodque istum annum ad calcem habet. Vel istud ipsum *Statutum* erroris illum admonere poterat; incipit enim: *Et licet in Libro Constitutionum sive Statutorum Provincialium sit praemissum et per Nos* dudum *mandatum* &c. Vides *dudum*. Non igitur a. 1355. verum, ut rite habet Clausula nostra miniata: *Datum prage anno domini M°. CCC°. XLIX°. die XII. mens. nouembris. archiepiscopatus domini Arnesti anno sexto.* Nam cum *Arnestus* factus sit Episcopus anno 1342. biennio vero vero post Archiepiscopus, ut in ejus *Vita Balbinus*, et Editores *Effigier. Doctorum Boh.* tradunt, annus ejus Archiepiscopatus *sextus* in an. 1349. cadit.

Fol. 37. continuo *Incipit summula de tribus punctis essentialibus cristiane Religionis*, cujus initium: *Religio munda et immaculata aput deum hec est* &c. *Puncti* autem illi tres sunt: *Credere articulos fidei. Seruare decem mandata decalogi. Euitare septem mortalia peccata*, quibus instar quarti horum *Remedia* accedunt. Ad calcem legas: *Finitus est iste liber. anno domini. M°. CCC°. LXXXVI°. in die sancte praxedis.* Et iterum: *Hij sunt puncti religionis christiane collecti per magistrum Thomam ybertinum. anno domini M°. CCC°. XVI°.* Vides primo τὸ *Finire* saepe Librarii esse, non Autoris; dein quis hic *Ybertinus?* Puta *Thomam Hybernicum*, non *Dominicanum*, quem *Altamura*, non *Franciscanum*, quem *Waddingus* volebat, sed *Sorbonae* Socium, ut pluribus habes in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 744. ubi etiam de Opusculo nostro, quod prelo nunquam subditum fuisse putem.

Fol. 62. p. 2. *Statuta Synodalia.* Ingressus: *In nomine domini Amen. Nos Arnestus dei et Apostolice sedis gratia pragensis Episcopus* &c. Non dum igitur Archiepiscopus, ideoque recte ad calcem: *Actum et datum prage Anno domini M°. CCC°. XLIII. in die sancti luce pontificatus uero nostri Anno primo.* Nihil de his Statutis *Harzhemius*, sed neque *Balbinus* eorum in *Vita Arnesti* meminit. Quare mihi Decreta, sive *Canones* XV. quibus constant, singillatim percensenda sunt. I. vibratur Anathema in *Ludovicum de Bauaria*, qui pro Imperatore se gerit. II. idem fit in *Petrum* presbyterum filium quondam *Dywischij de Dobronicz* violenter occupantem parochialem Ecclesiam in *Netoficz.* III. Denuntientur Haeretici, eorumque Fautores. IV. Oratio dominica et Symbolum Apostolorum recitetur *in vlgari bohemico et theutunico* e formula ab episcopo praescripta. V. Plebani singulis Dominicis et Festis promulgent excommunicationem in Usurarios. VI. Promulgent iisdem diebus, Usurarios ad Consistorium citari posse. VII. Iidem pro administratione Sacramen-